



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis

Musart, Charles

Monachii, 1654

X. Aut deesse propositum vitæ melioris: vbi de Recidiuis, & proximis
occasionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

Habes mi Neo-paroche, veluti in pharetrâ iam sagittas, quibus cor peccatoris impœnitentis atterere, imò conterere possis: vtere his, illis, hoc, illòne modo, vt opportunius fore iudicabis.

NVM: X.

De Proposito, Recidivo, Occasionum fugâ.

Cum dolore requisito includi debet propositum vitæ imposterum emendandæ, ad quod magni præsertim peccatores, minùs attendunt, ideòque tibi maximè laborandum, vt id efficaciter proponant, utq; remedia adhibeant, quæ suggeres, vrgebisque, vt occasiones fugiant, ne in eadem præcipites agantur, & per annos plurimos relabantur. Nihil molestius confessario, quàm cum canibus ad vomitum, & suis ad volutabrum toties redeuntibus: quid enim agas isto homine, qui viginti, triginta, eoque amplius annis, grauia, & enormia, &

quidem eadem confitetur, æquè semper remedia negligit, in easdem se occasiones volens induit: quomodo te, vel illum isto labyrintho expedies? Recidere in leuia, humanum est; nonnunquam labi in grauiora, tolerabile, præsertim si sponte non captantur occasiones propinquæ: facilius enim est eiusmodi absoluere, si recidant, modò eo sint animo, vt magis cauere velint. Labor, & opus cum iis, qui occasiones proximas, vel de se malas, vel quæ eos proximè ad malum inducunt, euitare negligunt. Sunt autem eiusmodi societates quædam, quæ ad relapsum impellunt, domi familiaritas cum lupâ, contubernium cum vxore Putipharis, & eiusmodi. Quòd si tamen eæ occasiones, neque sint quæ sita vltro, neq; de se malæ sint, neque sine graui incommodo ex loco, aut periculo pœnitens exire possit, absolues, quoties redibit verè pœnitens; ita animo paratus, vt seriò consensum velit

cohi-

cohibere, quantumcunq; occasio impellat: item fugere, quantum poterit, seq; contrà præmunire, atq; obarmare precibus, ieiuniis, eleemosynis, aliisq; bonis operibus; præsertim frequenti usu confessionis, & sacræ communionis; minúsq; eris difficilis, si aduertas aliquam in dies fieri emendationem.

NUM: XI.

De Repetitione Confessionum.

Nonnunquam confessiones de totâ vitâ instituuntur, aut de magnâ illius parte, ex honestâ causâ quidem; sed absque necessitate, nimirum ad maiorem suâ confusionem, demissionem animi, & intensiorem dolorem de prioribus peccatis, licet ritè aliquando confessis; præterea ad quietem, & securitatem conscientiae in horâ mortis. Hic tamen prudentiâ opus est; neq; enim semper id fieri expedit, scrupulosi eiusmodi confessio-

E 5

nibus